



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Exercitium circa ignominiosas raptationes Domini per plateas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

dente per vias Domini, patientiâ, vilipensione sui ipsorum, acceptatione humili de manu Dei aduersorum quorumlibet, suspirando ad Christum, ut eis porrigat manum, nec se deserat gradientes hoc itinere, cum pudore, quod eum tam parum generose sequantur, & libentius insistant viis ab eo damnatis & seductricibus. Quod si fideliter animo seruent absconditum sub externis pompis ad statum externum necessariis, quas lex Dei non prohibet, sine dubio quondam in iudicio, quando Christus veros suos imitatores remunerabitur, non secundum ea, quæ foris apparebant, sed secundum ea, quæ amabant & sectabantur intus in animo, id eis gloriosissimum erit. Nec parum valebit ad confusionem eorum, qui per vanitatem vitæ, & amorem propriæ carnis perdidit vera bona spiritûs. Quod si verò tales humiles solo corde, sic honorabuntur à Christo, quantum chariores erunt illi, qui & in animo, & in oculis mundi secuti sunt humilitatem & contemptum Domini? quantum verò detestabiliores illi, qui post factam vitæ Evangelicæ & Apostolicæ professionem sepositâ imitatione Christi, in Religione circumferunt secum memoriam & puncta honoris, humilitatis & sui contemptûs oblitî? Omissis autem omnibus, quæ de hoc dici possent, & fallaciis, quas adinvenit humana malitia, ad miscendam vanitatem cum Christianitate, hoc solum dico, Christum in die Iudicii laturum sententiam secundum ea, quæ docuit; & ne quis ea minus intelligeret, ostendit in opere, ut nullus possit errare. Quia verò non est discipulus super Magistrum, nec servus major Domino suo; nulli favebit in rebus, quas tanto suo impendio declaravit se odisse, & in his, in quibus voluit, ut ipsum imitemur intus in animo, vel etiam foris in opere, si simus vitam perfectiorem professi.

*Verbo, &  
opere maxime Reli-  
giosi.*

## E X E R C I T I U M

Circa ignominiosas raptationes Domini per plateas.

I.

*Adhorta-  
tio ad ani-  
mam ut à*

**E** Vigila, anima mea, à fomno teporis & negligentia tuæ: vide Dominum, quem Judæi condemnatum ad mortem, volunt educere



educere ad exequendam suam sceleratam sententiam. *Attende, homo evigilet.* Attende, quàm ignominiosa itinera faciat hodie pro te. Vide, ut oculos habet introrsum recedentes. ob insomniam: vide vibices & lividam à pugnis faciem: cæsariem & barbam convulsam: vide, ut manibus religatis incedit, cum fune in collo: associare illi, & cogita, quàm magno illi constes. Vide, ut eum à Caiphâ ducunt ad Pilatum, tanquam turbatorem populi; à Pilato ad Herodem, ut falsum Regem & mancipium; ab Herode ad Pilatum, ut stultum; ab hoc ad crucem, ut latronem. Vide, ô peccatrix anima! innocentem agnellum in medio luporum: vide verbera, quæ infligunt; strepitum carnificum & militum; sermones & contemptum populi; irrisiõnem Pharisaorum; clamores puerorum; maledictiones eum deducentium. Vide plateas consecratas ejus miraculis, & calentes adhuc operibus divini ejus amoris; per quas ante sex dies deductus fuit cum divinis honoribus & acclamationibus; nunc autem omnia versa in ignominiam. Vide ut mansuetissimus Agnus Dei tolerat omnia cum silentio, permittens ab unoquoque se tractari pro suâ malitiâ, & odio; non pro eo, quod meretur ejus divina majestas.

II. Quid jam tu dicis ad hæc, anima infelix, quæ vides? *ut Christi stultus, ad tuos dicis raptationem sequatur.* quid ad hoc dicis, homo de terra & pulvere, & simul tam superbus? quid est hoc, quod facere vides filium Dei, miserande peccator? quæ sunt hæc itinera, quæ ipse facit, & quis eum ducit? ô divine agnelle, qui tollis peccata mundi! ô Judex meus, Deus meus, & felicitas mea! aperi Domine, oculos meos, & illumina meum intellectum, ut intelligam vias, quibus incedis, & in illis videam perditionem aliarum. Tu sapientia æterna, quæ falli non potes, & omnia ponderas æquâ lance, recipiendo in te peccata mea, & infelices gressus meos, ut solveres mala, quæ commisi, noluisti dispensare tecum, nec mitigare, quæ commiserui. Neque tantum soluisti pro me; sed etiam ostendisti mihi vias rectas ad salutem. O lux mea divina! ô clara & æterna veritas! ignosce meæ cæcitati: illumina me, quia necdum te intelligo; multoqueminus cognosco meipsum. Monstra mihi, Domine, clarè vias tuas: doce me, duc me per tuam veritatem æternam; quia defixi oculos meos in te,



te, qui es Deus meus, Salvator meus, mea via, veritas, vita, & dux vitæ meæ. Recordare, Domine, infinita misericordiæ tuæ; & amoris, quo me sustinuiſti; bonitatis, quâ me expectaſti uſque in hanc horam, ut me dirigeres in viam bonam, & ostenderes mihi mala mea, & errores meos; ut plangam eos coram te, ne ejicias me foras, sed per vias, quas me docuiſti, deducas.

*Et ut per-  
ditionis de-  
reſtetur ſe-  
mitas*

III. Hic, Domine, volo confiteri mala mea cum dolore ac pœnitentiâ, & deplorare coram te vias & itinera mea, quibus ad perditionem contendi, & fatis longè proceſſi, ut me caſtiges, & in misericordia tua deducas per vias cæli, ad quod me creâſti. Aperi, Domine, paterna viscera tua; conjice in me miſericordes oculos tuos: recipe me filium prodigum, pro quo tanta pateris. Tu mi bone Jeſu! feciſti me ad imaginem, & ſimilitudinem tuam creatum: conſecraſti, & expiaſti ſacro baptiſmo pretioſi ſanguinis tui, cujus virtute & gratiâ mundantur animæ. Et mox impreſſiſti cordi meo, quas tenere debeam vias vitæ, Fidem, Spem, Charitatem: tu ſcripſiſti in anima mea legem tuam, per quam poſſem venire ad te: tu multò antè, quàm naſcerer, feciſti te meum Redemptorem, atque Doctorem, & præordinâſti ad Eccleſiam Catholicam: pro me in illa reliquiſti tuam doctrinam, claves regni cælorum, & pignora æternorum bonorum. Potitus tandem uſu rationis; & hoc totum, & alia multa inveni præparata ante oculos meos, tanquam vias ad vitam æternam. Si ego tanquam filius ac ſervus tuus voluiſſem haſtenus per eas incedere, ſicut in baptiſmo promiſi, quàm nunc tibi eſſem conjunctus, Amor æterne? quàm plena eſſet mens mea tuo lumine? quàm purus à peccatis, quæ feci? ô miſericordia infinita! noli me confundere, ô bonitas æterna! noli me ſeparare à te, ut mereor. Totum hoc ſprevi, Deus meus, avertens oculos à te ad mundum & me. Secutus fui meam perversam voluntatem, non tuam. Credidi unum & aliud feci. Spem, quam in te habere debui, repoſui in mendaciis & fallaciis vitæ. Amorem tibi ſoli debitum, poſui in his, quæ odidi. O Deus meus! in quo poſui meum amorem? in quo? Miſericordia mea! in quo poſui illum? Dominus meus! quis poſſit hoc ſcire, dicere ſine rubore: extende Domine, divitias miſericordiæ tuæ, ut me ſuſtineas hâc horâ.

*Ne in iis  
confunda-  
tur.*

NB. Hic



NB. Hic se detineat orans, quantum poterit, sigillatim recensendo graviora peccata totius vite, & ea, ad quae sentit se magis propensum, quaeq; magis impediunt bona spiritualia, & propter quae Deo non placet: & cum intimo dolore animi se humiliet, & confundat coram Domino, quem videt, tanta pro se pati: ac postea dicat:

IV. Talis, pro dolor! ego sum, Deus meus! En hic illum <sup>Via peccati</sup> miserabilem, pro quo tanta pateris. En vias malas, quibus in- <sup>tois via</sup> celli, & per quas tu nunc duceres inter injurias & verbera. Ecce <sup>Christi pat-</sup> hic vanitatem cogitationum mearum, vilitatem rerum, quas amavi, <sup>ientis.</sup> & absurditatem meae miserabilis vitae. In his consumpsi vires, quas mihi dedisti: his occupavi facultates animae meae: haec fuerunt oblectationes meae. Et tu, vita animae meae, ac Deus meus! o quam procum ab isto corde ingrederis! quomodo te sprevis! quam parvi feci: quae mihi dedisti ac promisisti! ac talis cum sim; video me in hoc statu, te verò sic inhonoratum, sic despectum. Ego, Deus <sup>Propter va-</sup> meus, tibi fidelis non fui; & tu tractaris ut proditor: ego insanus <sup>itates no-</sup> fui in meis vanitatibus; & tu, sapientia aeterna, tractaris, ut fatuus: <sup>strus sub-</sup> ego fui raptor gloriae tuae, & amoris tibi debiti; & tu Deus meus, <sup>sancti.</sup> tractaris ut latro. Ego, Domine, debui sic tractari: contra me debuerunt insurgere omnes creaturae, ac ducere me cum ignominia per plateas, tanquam proditorem & ingratum tibi, Deus meus! & tanquam eum, qui deflexit à via, ut improbi solent. Et tu, Deus meus, & vita animae meae! parcis mihi, & offers te, ad patiendum, quod ego promerui. Adoro, Deus animae meae! infinitam hanc bonitatem: adoro amorem, quem erga me geris. Per eundem, Domine, te rogo, ignosce mihi, muta me, & in bonam viam dirige. Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, & in illam deduc me. Apprehende me manu, Domine, & curram post te in odorem caelestium unguentorum tuorum. Si me dimiseris, cadam sicut infans, & tanquam novus in his veritatibus tuis, & velut infirmus à malignitatibus meis. Sed si tu, Domine, velis, & me ducas in tua societate, omnia potero, & incedam alacriter. Obliviscere Domine, praeteritorum malorum meorum, & ex nunc mei curam suscipe, ut me ducas in viis tuis, & à meis abducas.



*V. est vobis  
nifros, &  
ostendit n-  
bis Patrem.*

V. O mi bone JESU, lumen oculorum meorum, lux igno-  
rantiarum mearum, splendor illuminans tenebras meas! doce me  
interius secretum viarum tuarum. Nonne tu, Domine, venisti,  
ut mundo aperias calum, vincas dæmonem & mundum, inimicos  
nostros, & facias cognosci tecum Patrem æternum? ut plantes  
in animabus amorem tui, & rerum cælestium? ut eleves à terra  
cor nostrum, & capiatur bonitate tuâ? ut saties nostra desideria,  
medearis nostris necessitatibus, & omnibus bonis nos impleas, tam  
gloriæ, quàm gratiæ? Estne igitur, Domine, hæc via ad res tan-  
tas, propter quas venisti? ô Secreta sapientiæ Dei! ô qui semper  
propè te fuisset, Deus meus, contemplans & laudans opera &  
mira consilia tua! His viis tuis confundis superbos, & exaltas hu-  
miles, his dissolvis glaciem cordium & inflammas: his obruis va-  
nitate mundi; erigis animas de stercore peccatorum: his trium-  
phas inimicos tuos, & places Patri æterno: his doces, illuminas,  
inflammas, locupletas. O quàm speciosi sunt gressus tui, Fili  
Dei vivi! quàm sapientia consilia tua, O Sapientia æterna, quàm  
securæ sunt viæ tuæ! ubi igitur manco ego, Deus meus, nisi me  
ducas per semitas tuas? quando me videbo, Deus meus, amore  
tui in eo statu, in quo te amore mei jam video? quando sic amabo  
contemptum mei, ut hactenus amavi vanitatem vitæ? quando  
pro te patior, tūque me illuminas, continuo nauseo vitam, &  
mundum averfor; video meliùs, quantum indigeam te; suspiro  
ad te, desidero te, & vellem semper esse tecum, nec latum unguem  
recedendo à te: quando verò carni bene est, nihil horum video,  
sed omnium obliviscor. Quia igitur, Domine, viæ tuæ, quibus  
tu graderis, mihi conveniunt, illas volo, per illas cupio incedere.  
Sit jam finis, Domine, vitæ meæ præteritæ: sit finis cæcitatatis: in-  
flammetur cor meum amore viarum tuarum: duc me misericor-  
diter per itinera, quæ tu facis, ô mi amor, ô vitæ animæ meæ, ô  
lumen oculorum meorum, ô Medice malorum meorum!

*B. Virgo  
perfecte Filii  
vestigia se-  
quuta est*

O sanctissima Dei Mater, immaculata ovicula! quæ licet non  
iveris per istas injurias, tamen perfectè secuta es itinera Domini,  
& his ipsis horis, quibus obivit ærumnosas istas vias, egressa è tuis  
ædibus eum quæsvisti, plena lacrimis ac dolore, plena fide, &  
amore,



amore, conformis per omnia divinæ voluntati. Ille patiendo tu compatiendo, & lacrimando, conjunctissimis ambo cordibus, mirificè placebatis Patri æterno. Ergo, Domina meâ, Mater misericordiæ! quomodo possum ego ingredi aliam viam, quæ bona sit? Domina mea, & Angelorum Regina! juva me posthac, ut oderim meam malam vitam, & semper incedam per securam viam contemptûs & humilitatis. Fac tu mihi hanc securitatem, Domina animæ meæ! & impetra mihi ad hoc lucem & robur, quod non mereor.

O Spiritus Angelici, qui videtis & laudatis hæc admiranda consilia Dei! O cives curiæ cælestis, qui etiam aliquando incedebatis non rectè, sed postea imitatione Domini mutastis viam, & nunc experimini fructus harum ignominiarum illius, & gloriosi estis per humilitatem ejus, clarèque intuemini veritates istas cælestes; compatimini mihi pauperulo, & impetrare mihi unam scintillam luminis, quod vos habetis; & amoris, quo vos ardetis; ut per eam convertar, & ad societatem vestram perducar. Amen,

Æ R V M N A X X X V.  
Christus habetur pro stulto.

I.



Erduxerunt Sacerdotes ac Principes Judæorum *Hypocrysis*  
Dominum ad Pilatum tali figurâ, ut Præses cogitare *Isidaurum.*  
posset, aliquid extraordinarium accidisse cum illo:  
& ut major opinioni fieret fides à dignitate personæ  
illorum, tanquam religionis & sanctitatis custodum, ipsimet partes actoris contra eum sibi assumpserunt. Ne tamen contaminarentur, si festo Paschatis die, qui tunc erat, subirent domum hominis à sua religione alieni, foris manserunt. Ita cæcum est cor hominis, vitiis & corruptæ voluntatis gustui serviens, ut sæpe, existimationis suæ tuendæ causâ, sive alio humano respectu, magnam rationem habeat levium rerum, nullam autem earum, quæ maximi sunt momenti, utpote perditionem salutis æternæ, & alia gravissima damna inferentes incautis. Mortale odium Filii Dei, & Salvatoris dudum ipsis promissi, datique à Deo, falsa testimonia,